



## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Domitii Plati Societatis Iesv Theologi, De Domini  
Nostri Iesv Christi Passione**

**Piatti, Domizio**

**Coloniae Agrippinae, 1610**

Illvstrissimo Et Generosissimo Domino, D. Carolo Marchioni De Lavieville,  
Baroni d'Arzillieres, de Chaluet, de Lumes [et]c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49474](#)



ILLVSTRISSIMO  
ET GENEROSIS-  
SIMO DOMINO,

D. CAROLO MAR-  
CHIONI DE LAVIEVILLE,  
*Baroni d' ArZillieres, de Chaluet,  
de Lumes &c.*

**V**ERA mihi semper vi-  
fa est ILLVSTRISS. ET  
GENEROSIS. DOMI-  
NE, illorum sentētia,  
qui omnibus ad per-  
fectionis fastigium af-  
pirantibus, nihil æquè conducere ex-  
istimant, quam animum in varia dis-  
persum identidem ad se reuocare, à  
rebus sensibilibus abducere, & ad su-  
perna per frequentem rerum diuina-  
rum meditationem & contemplatio-  
nem erigere. Inter omnes autem me-  
ditationes nulla eis conuenientior,

\* 2

quam

## E P I S T O L A

quam suppliciorum & necis, quam Christus pro humani generis salute exceptit, assidua consideratio. Nihil enim tam potens ad sananda consciētiæ vulnera & imperfectiones extirpandas: nihil tam efficax ad hominē à malo retrahendum, atq; ad bonum incitandum: nihil tam validum ad virtutes acquirendas, & ad nostram mentem in D E V M per amorem trāsformandum, quam Dominicam Passionem incessanter animo reuoluere. Neque id iniuria: nam Christus Dominus in ea tanquam in vitæ suæ aetatu nouissimo, totam vim Christianæ sapientiæ exeruisse videtur, non aliter atque oratores periti in Epilogo, totam suam eloquentiam atque peritiam ostendunt; ut propterea non immerito affirmari possit, in ea omnia rectè viuendi præcepta, & totius Christianæ perfectionis summam contineri. Siue enim aliquis contritionis gratiam quærit, & errata vitæ præteritæ deflere concupiscit; unde eam rectius petet, quam ab eo, qui quantum esset in peccato mortali miseriæ & calamitatis

## DEDICATORIA.

tatis pondus, inæstimabili pro illius expiatione, litro persoluto, demonstrauit? aut vnde spem veniæ melius concipiet, quam ex sanguine totius mundi scelera abluēte, qui in illa profusus est? Siue virtutum studiis insistit; vnde earum exempla rectius sumet, quam ab eo, qui cùm esset omniū virtutum perfectissimum speculum, in Passione tam illustria nobis virtutum documenta reliquit, vt maiora nemo cogitatione consequi valeat? Quæc enim profundior humilitas Christi demissione, qui cum esset Angelorum atque hominum dominus, ac supremus totius mundi moderator, modò nō hominibus adequari, verùm etiam illis inferior haberí, opprobrium hominum & abiectio plebis effici, vermis & nō homo reputari voluit? Quæc obedientia promptior, ea quam Christus in rebus difficillimis primum præstítit Deo patri, cui usque ad mortem & mortem Crucis omnium ignominiosissimam obediens factus est, & ne perderet obedientiam vitæ iacturam facere non recusauit: deinde

\* 3

Matri

E P I S T O L A

Matri & Patri nutritio : demum ipsis  
etiam tortoribus, quibus alacriter siue  
vestes exuendae, siue manus, pedes, aut  
aliud quodvis corporis membrum ad  
supplicia porrigendum esset, paruit?  
Quæ fortior & diuturnior patientia,  
Christi æquanimitate, in tolerando,  
quicquid cogerere posset superbia in  
cōutijs, petulantia in derisionib⁹, cru-  
delitas in supplicijs? Quæ nudior pau-  
pertas, ea quā Christus in se expressit,  
qui tanta rerū omniū penuria pressus  
fuit, ut non haberet vile linteum, quo  
nuditatē suam in Cruce contegeret;  
non aquæ guttā, que ardentissimam si-  
tim restingueret, & corpus propter sā-  
guinis profluua exuccū restauraret;  
non lectulū, aut ceruical aliud, præter-  
quā durum Crucis lignū, in quo caput  
suum spinis sauciatus reclinaret? Et ne  
in percensendis singulis virtutibus im-  
morer, quæ caritas omnibus numeris  
absolutior, ipsius dilectione, qui non  
tantū amicitia sibi coniunctos, verūm  
etiam iuratissimos hostes, alienissimo  
à se animo existentes, summo amore  
prosecutus est, & non pro inimicis sed

pro a-

## DEDICATORIA.

ipsis  
siue  
aut  
n ad  
uit?  
tia,  
do,  
a in  
cru-  
au-  
ssit,  
sus  
quo  
ret;  
n si-  
sā-  
ret;  
cer-  
out  
ne  
m-  
ris  
on  
um  
no  
ore  
sed  
ga-

pro amicis reputauit, vsq; adeò etiam, ut quo plura ipsi in eum tormenta cōgerebāt, eò magis amore in illos exar- desceret, & maioribus benefactis cu- mularet. Siue denique amoris feruorē & valida ad effectum inflammandum incitamenta quis desiderat; vnde mai- orē cœlestis dilectionis flammā hau- riet, quam ex Christi Passione, quæ lu- culentas amoris scintillas vibrat? Quē enim non inflammet amor ille quo Christus nos tantoperè dilexit, vt etiā mora cruciatus illius, quo salutē ho- minibus erat allatus, vehemēter an- geretur, & summa mēstitia conficta- retur, vsq; eo, dū sanguine suo huma- norum animorum fordes ablueret? Quē non succendant vulnera illa tot numero, tam densa, tā patula, pro ho- minibus redimendis excepta, quæ tor- rentes vastos cœlestium flamarum fundunt? Cuius cor non exurat chari- tas illa, qua Christus Seruator, non pro amicis sed inimicis mortem, eamque omnium, quæ cogitari possit, contu- meliosissimam alacriter oppetiit?

Cūm igitur tota simul Christianæ

\* 4

Religio.

## EPISTOLA

Religionis perfectio in sola Christi  
Passione contineatur, operæ pretium  
me facturū putauit, si Commētarium  
quod de eiusdem Passionis Mysterijs,  
vir Religiosiss. & Eruditiss. R. P. DO-  
MITIVS PLATVS, Societatis IESV  
Theologus (celeberrimi illius R. P.  
Hieronymi Plati, qui de bono status  
Religiosi, opus insigne & nunquam  
satis laudatum conscripsit, ut profes-  
sione & doctrina, ita genere quoque  
& natura frater:) recenter Italica lin-  
gua ediderat, & noua methodo diges-  
serat, in latinum idioma conquererē,  
& si Superioribus meis ita visum fuisset,  
prōlo permitterem. Neque diu mi-  
hi deliberandum fuit, cui, iuxta rece-  
ptam nostri seculi consuetudinem, la-  
borem hunc qualemcunque inscribe-  
rem: nam ad Illustriss. Dominationē  
Tuam, validi quidam affectus, non  
modò, quasi manu arrepta deduce-  
bant, verum etiam violenter arripie-  
bant, quibus nisi parerem, planè insen-  
sibilis videri possem. Inuitabat enim  
me primum nominis ac familiæ Tuæ  
splendor, quem à maioribus acceptū,  
mirific-

## DEDICATORIA.

mirificè virtutum tuarum gloria illu-  
strasti, & quantū familiæ decus, ad vi-  
tæ institutionem, & virtutis occasio-  
nem momenti adferat, ostendisti: vt  
nimirum hunc nominis tui splendo-  
rem, in hac communi flagrantis inui-  
diæ flamma, à qua magni & fortis co-  
natus raro liberi sunt, obtrectatorum  
ambitioni & calumnijs opponerem.  
Deinde virtutum tuarum admiratio,  
quæ in Te, quam magnæ, tam multæ:  
& quam raræ, tam ferè cunctis caræ  
sunt: ob quas non modò alijs Princi-  
pibus & Magnis viris, verum etiam a-  
cerrimo bonorum ingeniorum æsti-  
matori HENRICO IIII, Franciæ &  
Nauarrhæ Regi Christianissimo &c.  
qui te intimorum suorum numero  
adscripsit, semper placuisti, & place-  
bis. Tum amabilis illa morum facili-  
tas & animi moderatio, quæ in mag-  
na potentia & libertate rara est: exi-  
mius quoque, quod in maximis donis  
numerandum est, erga Catholicam  
religionem zelus; in Apostolicam  
Romanam sedem reuerētia; ad pieta-  
tem piorumque librorum lectionem,

\* ,

inter tot

## E P I S T O L A

inter tot curas publicas, quibus multorum tranquillitati consulis, affectio: quæ præcipua causa fuit, quamobrem Tibi piarum rerum amatori, earumque studioso inuestigatori, pias hasce de rebus pijs Meditationes dicarem. Denique singularis amor, quo tū Monasterium nostrum, tum vniuersum Carthusianum ordinem, speciatim Matrem nostram Carthusiam complecteris: quem cum ipse partim ex crebris tuis sermonibus, partim alijs euidentibus ex signis exploratum habeam, magna ingratitudinis nota mihi merito inuri posset, si non aliquod saltem grati animi, cùm facultas adfset, indicium ostenderem. A te igitur ILLVSTRISSIME ET GENEROSISSIME CAROLE Marchionum decus, etiam atque etiam peto, vt qua me humanitate, aliàs prosequi solitus es, eadem hosce labores meos, qui tua potissimum nixi auctoritate in publicū prodeunt, suscpias, & complectaris; neque tam quid. Amplitudini Tuæ conueniat, quam quid à me præstari possit expendas: quod si feceris,

300 1557.4

summo

D E D I C A T O R I A.

summo me beneficio affectū putabo.  
Vale ILLVSTRISSIME DOMINE, &  
mihi, domui nostræ, vniuersoqué Or-  
dini nostro, ita vt facis fauere perge.  
Nos interim D E V M immortalem  
precabimur, vt te Reipubl. Christianę,  
regno Gallico, subditisque tuis, lon-  
gæum & incolumem seruet. Ex Car-  
tusia Coloniensi. Idibus Mart. Anno à  
partu Virginis. M. D C. X.

*Illustriſſ. & Generoſiſſ. Dom. Tue*

*Seruus & humilis cliens*

*Fr. Antonius Dulcken  
Cartusianus.*

APPRO-